

& hactenus observata fuerunt, & confirmamus, & approbamus, sed etiam illis concedimus, ut in civitate ipsa collegia jurisconsultorum, & notariorum erigere valeant certis, & quidem honestis conditionibus per Senatum nostrum hujus Ducatus comprobandis regulata, necnon nundinas in festo s. Crucis mensis septembris inchoandas, & finiendas in calendis octobris singulis annis ipsis hoc tempore in dicta civitate, & castro concessas ab Illustrissimo, & Excellentissimo Domino Marchione Gulielmo Montisferrati prædecessore nostro felicitis recordationis ut latius est videre in decreto dato Casali die XXI. mensis novembris MDIX., quod hic pro expresso haberi volumus, confirmamus, & quatenus opus sit denuo concedimus. Quemadmodum predictis civibus potestatem facimus, ut alias nundinas, quæ mense majo in eodem festo s. Crucis fieri solent, iidem III. nonas junii in festo B. Guidi facere queant cum solitis franchisiis, & libertate, citra tamen prejudicium daci nostri generalis hujus nostri Ducatus, & aliorum nostrorum

jurium, facultatem quoque dictis civibus concedentes, ut in præfata civitate emporium diebus martis, & veneris singula ebdomada cum solitis eorum franchisiis, & libertate citra etiam præjudicium dicti daci generalis celebrare valeant; & quoniam sicuti cives ipsi nobis etiam exposuerunt inter ipsam civitatem, & locum Veraginis ditionis Genuensis fuit, & est antiqua conventio, ut reciproce habitatores tam in dicta civitate, quam eodem in loco iidem cives, sive habitatores vicissim habeantur, & tractentur, & solitis franchisiis . . . gaudeant, præcipueque die martis, quo emporium fieri soliti sunt; idcirco antiquam hanc conventionem approbamus, & confirmamus modo, & forma, quibus antea gavisi sunt, ita tamen ne præmissa in auctoritatis, honoris, dignitatis, ac jurium nostrorum diminutionem aliquo modo cedant. Mandantes ea &c.

Datum Casali III. nonas decemb. MDLXXXIII.
Fortunatus Cardus Cancellarius.

